ACADEMIA

HABITA

Coram Illustrissimo, ac Reverendissimo D.

D. ALEXANDRO ZONDADARIO

ARCHIEPISCOPO SENENSI

Cum primùm Seminarium ſuum inviſeret.



SENIS, apud Bonettos Typis Publici MDCCXV.
Superiorum permiſſu.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.

D. ALEXANDRO ZONDADARIO

ARCHIEPISCOPO

A C P A T R I S U O

SEMINARIUM SENENSE

F E L I C I T A T E M.

QUòd tenues hosce Ingenii conatus benignissimis nuper auribus tuis exceptos, Præsul amplissime, oculis modò subjicimus, & evulgamus, hoc qui-

quidem facimus animo, ut, quantum in nobis est, diutissimè perseveret obsequii erga Te nostri prima significatio. Debueramus quidem eruditas aures timere, quo die ausi fuimus domesticæ, atque umbratilis exercitationis materiem in publicam lucem educere; nunc verò optimè de lucubrationibus nostris sperare debemus, quibus contigit ab eximia Sapientia Tua non improbari. Hac freti, cujus tutelam, præsidiumq; prestantissimum etiam, atque etiam venerabundi rogamus, flagitamusque, severam cujusvis Aristarchi censuram non formidamus. Ridemus insuper quorumdam criminationes, quibus traducimur, tamquam debitarum Tibi laudum non parcissimi tantùm, sed omninò

ninò incurioſi ea temerè còngeſſerimus, quæ ad jucundiſſimi adventus Tui celebritatem non pertinere penitus viderentur. Cujus quidem noſtri inſtituti defenſionem ſatis ſuperque in Academiæ Præfatione ſuſceptam eſſe contendimus, & unicam modò rationem reddere contenti ſumus. Verendus enimverò Tanti Patris aſpectus gravitate iſta, qua polles, ac majeſtate jamdudum filiorum animis obverſabatur. Fama enim, quæ omnia de Te egregia narraverat, & ſingularia, Tè nobis pinxerat, & quidem ad vivum, in imaginem Summi Viri, hoc eſt ſola Virtute contenti, alienoſque plauſus deſpicientis. Viſum proinde eſt à noſtra potiſſimùm conditione prorſus alienum Te præſentem onerare

lau-

laudibus, prætentiſque honeſtiſſimæ gratulationis officiis, Modeſtiæ incomparabili exquiſita ſupplicia adornare. Hanc noſtram in Te laudando moderationem, ac parcitatem ſcimus Tibi accidiſſe gratiſſimam, quod nobis unicè fuerat optandum; ſed neminem inſuper, modò rem bene penſare velit, futurum credimus, qui nobis id vitio vertat, quod Tibi placuit æquiſſimo rerum æſtimatori. Quid quod difficilius omnino fuerat tuarum laudum principium invenire, quàm finem? Quem enim boni omnes diligunt, timent impii, filii verentur, commendat Patria, atque exteræ Gentes ſuſpiciunt; Quem amat Gallia, amat Iberia, deſiderat Roma; Cui Princeps favet, Cui ſummus denique

nique Sacerdos quovis elogio majus Angeli nomen imponit; eum ii tantùm nequeant commendare, qui nolint, nolimus autem præcipuè nos, quibus nihil antiquius, quàm ingenio, studiis, & prona in obsequium voluntate dilectissimæ Tibi præ cæteris Virtutibus Modestiæ litare. Excipe igitur, Illustrissime Domine, qua soles facilitate, quo vultu primùm excepisti, Nominis quidem Tui cultores eximios, ut ut laudatores parcissimos. Quamquam quis scit, an hæc sit laudum summa, Tuos publicè testatos esse, Te nihil minùs velle, quàm laudari?

PRO-

PROLUSIO.

Eadem ferè eſt, Illuſtriſſime Præſul, ingeniorum, quæ agrorum cultura; ut enim aliud mite ſolum, & aliud triſte, fœcundum illud, & ferax, hoc verò macrum, & nudum, omnia tamen prò cultoris induſtria, quantùm eorum natura patitur, Domini votis reſpondent, ità & Juvenum ingenia, quorum certè alia ſunt aliis dociliora, magis, vel minùs fervida, acria, tarda, imbecillaque, optima præceptorum inſtitutione formantur, vel fœcundantur, varios quidem, ſed dulces aliquando, & benè coctos Sapientiæ fructus allatura tempeſtiva maturitate. Hinc benè, ut omnia, Venerabiles Sacroſanctæ Synodus Tridentinæ Proceres, quorum lege ſancitum eſt, ut ſingulæ Eccleſiæ ſingulas hujuſmodi domos haberent juvenum diſciplinæ dicatas, ſumpta ingenioſiſſimè tranſlatione ab ipſis rei ruſticæ operibus, non alio nomine, quàm Seminarii illas nuncupari voluerunt; Quippe, ut vitium tenelli palmites, antequam in vineta transferantur, lentas, ac primas radicum fibras agunt in Seminario, ut olearum ſtolones, aliarumque arborum ſurculi ibidem veluti erudiuntur ad futuram fœcunditatem, ita in his domibus ſuam habet Eccleſia pædo-

 tribiam

tribiam ingenuorum adoleſcentum inſtitutioni paratam, hoc eſt myſticæ Engaddi vineæ providus cuſtos hic alit novellas plantas, quibus læta pomaria, amœnaque olim arbuſta opportuna identidem ſubſtitutione vireſcant. Quæ cum ita ſint, Præſul Ampliſſime, jure quidem optimo omnium laudibus excipitur, & plauſu ſingulari incredibilis illa benevolentia, & amor verè paternus, quo è tantæ dignitatis faſtigio demittis oculos providentiæ tuæ in hunc, ut verum dicam, non infœcundum, non inamœnum tuæ ditionis agellum. Nos verò quid facimus inter plaudentis Urbis encomia, inter omnium ordinum acclamationes, & inter Patriæ geſtientis effuſa gaudia pro dudum optato Amantiſſimi Paſtoris adventu? Animus quidem fuerat rhetorices prata omnia pervagari, & ſi qui in iis floſculi vel ſponte ſua enaſcentes, vel noſtra etiam, quæcumque illa ſit, cultura non inamabiles occurrerent, omnes decerpere, miſtoſque Poeticis laureolis tibi ſacrare. Sed quoniam ſublimes inter virtutes tuas, noſtramque humilitatem, puerileſque conatus nihil omnino commune eſſe cognovimus, unam præ omnibus Excellentibus illis animi dotibus commendandam nobis eſſe intelleximus, quam Tu reliquis præire jubes ad arcendos hominum plauſus, moderationem dico animi ſingularem, quæ ſilentio potiùs admirantium laudatur, quàm verbis. Interea verò, ne, dum de Te omnes loquuntur, nos non uno nomine tui ſileamus omnino, de iis tecum agere ſtatuimus, Illuſtriſſime Domine, de quibus novo cum Domino, & fundi alicujus poſſeſſionem nuper adepto villicus Procurator agere conſuevit. Ille poſtquam ex edita quadam ſpecula agrorum fines Hero indicavit, ſolicitus poſtulat, ut ſingulas villæ partes pedibus, vel ſaltem oculis luſtrare velit, ſuoſque illi labores, induſtriam, ac fidem probare ſtudens, & validis juvencis ſubacta novalia, & diſpoſitas in quincuncem arbores, & hortenſibus herbis virentem vallem, & collium clivos conſitis ordine vinetis amœnos, & quidquid demum vel ad delicias, vel ad fructum ſolers excogitavit induſtria in nemore

re

re, in ſaltu, in pratis, in viridario herilibus oculis non ſine multo verborum apparatu proponit. Studet quippe Villicus vel primo in colloquio ſibi Dominum demereri, ejuſque animum explorare, cujus ad nutum omnia deinceps in rei ruſticæ procuratione diſponenda ſibi eſſe non neſcit. Ergo in hunc veluti hujuſce Villulæ tuæ agellum quoniam clementiæ tuæ placuit deſcendere, curſim conſiderabis, Illuſtriſſime Domine, culturam campi, quoſque ex illo fructus poſſis colligere, quive tibi inde reditus ſint proventuri, qua polles acerrimi ingenii vi, ſtatim perpendes; Utque allegoriæ velum tandem abjiciam reddituri tibi ſumus inſtituti noſtri rationem, ſtudiorumque, quibus in humaniorum literarum diſciplina occupamur. Et quoniam univerſa exercitatio noſtra complectitur, quæ ad elegantem, & perfectum Oratorem, bonumque Poetam ſpectare videntur, ideo ſi quid in utraque facultate profecimus indicaturi, ſpecimina quædam dabimus, ſin minus Auditorum expectationi paria, viribus ſaltem, conatibuſque noſtris non inæqualia. Quoniam verò nemo unus, ut credo, legitimo militiæ titulo, vel in Oratorum, vel in Poetarum caſtris ſtipendia mereatur, niſi qui teſſeram habeat emendatæ latinitatis, vis prætereà, & robur latinæ linguæ, cujus apud noſtrates non niſi cadaver quoddam, vel enerve corpuſculum ſupereſt, eruendum eſt è ruderibus antiquitatis, & ab iis ipſis auctoribus, qui artium illarum præcepta tradiderunt, eſt diligentiſſimè colligendum, ideo præ omnibus Ciceronem, Vergilium, Horatium, Catullum, Propertium, Tibullum, & in nonnullis Martialem bonorum veluti exemplarium optima nobis proponenda eſſe non dubitavimus. Utinam enunciata illa maximorum certè virorum nomina venerati, dum ſublime illorum dicendi genus, doctrinarumque omnium, lepòris omnis, ſuavitatiſque refertiſſimum æmulari contendimus, utinam inquam niti non videamur ceratis pennis, & audacis nimium Juvenis fabellam præcipiti caſu non renovemus. Quìd tum verò Audit. ornatiſſimi? Præſtabit certè magna auſos præci-

pites agi, quàm paluſtrium avicularum more humili pennarum remigio limoſas aquas verrere nunquam in ſublime libratos. Neque tamen de noſtra induſtria, quantulacumque illa ſit, adeo temerè ſentimus, ut tempore quidem exiguo, quo nos benignis auribus uti veſtra patitur indulgentia, ſingulos Elòquentiæ fontes indicari, nedum aperiri poſſe in animum inducamus. Ætatem fortaſſe hominis, & plena volumina exigit iſtiuſmodi materies hoc præcipuè Seculo eruditiſſimo pariter, & in literarum cultura religioſiſſimo, quo certè ſeculo poſt aurea Octaviani Auguſti tempora, & poſt vindicatam ducentis fermè ab hinc annis à barbarie latinitatem literis latinis felicius nullum exortum eſt. Præterquam quod Eloquentiæ ſacris nondum initiati rudes veluti picturæ ryrones, qui univerſam optimi Archetypi formam in tabella ducere neſcii oculum exprimunt, aut manum, quantum in ipſis eſt, ſimillimis lineamentis, ita & nos ex multiplici exemplarium numero eas tantùm illorum particulas imitari voluimus, quæ ſpecimen quoddam, ſi non artis, diligentiæ ſaltem noſtræ in rhetoricis exercitationibus exhibeant, vel adumbrent. Sic volentes, prudenteſque, nec ſoccis indutas, nec tragico innixas cothurno Muſas inducimus, quoniam hìc theatrum non habent, in quo verſentur, nec dulciſonam Tytiri modulamur avenam, nec ſonora Calliopes tuba canimus, non declamatorem agimus, non hiſtoricum, nec demum Satyræ, nec Elogii, nec Epiſtolarum paradigmata exponimus, quoniam ex iis quædam hujus omnino loci non ſunt, quædam verò in aliam fortaſſe diem exhibenda ſecrevimus. Interea verò, ſi dum aliud agimus incidiſſe videbimur in commendationem earum virtutum, quas animo tantùm colere venerabundo ſtatuimus, nemo idcircò ſeſe à nobis deceptum eſſe putare debet: neque enim quis jure ſuccenſeat navis alicujus gubernatori, qui poſtquam lirus legere ſecum decrevit, ſecundas nactus ventorum animas plenis velis alto ſe credit, ad illum modò, quem ſibi deſtinaverat, Portum appellat.

ORATIO

ORATIO

Uamquam multa ſint, Illuſtriſſime Præſul, quæ me in dicendo imperitum, ſeu potius infantem onerant, atque opprimunt verba facturum de Eloquentiæ Principe Cicerone, quem Oratoriæ artis ſtudioſis adoleſcentibus unicum, idque abſolutiſſimum exemplar propono, ea tamen re, quæ me non parum recreare deberet, & confirmare, ſentio quàm maximè animum commoveri. Cum enim apud Eloquentiſſimum Præſulem, & Sapientiſſimum, apud diſertiſſimos, doctiſſimoſque Auditores dicendum ſit, minimo certè labore adnitendum eſſe perſpicio, ut, quod mihi propoſitum eſt, id vobis oratio perſuadeat; ipſa quippe ſibi propoſitio audientiam facit, & me veluti hortatur, ut dicam liberè, & confidenter. Quis tamen contra in re tam clara, & manifeſta argumentorum copia, dignitate, atque amplitudine ſeſe oppreſſum iri non timeat, cum nihil prorſus nedum effari, ſed ne cogitare quidem, ac meditari ſe poſ-

se sciat, quin ab Auditorum ingenio, vel anticipata meditatione fuerit excogitatum, vel, dum in eorum aures descendit, inopia dicentis tenuatum, factumque expectatione ipsa minus, & longè impar argumento suo videatur. Præterquamquod vanum fortasse nonnullis, & supervacaneum esse putabitur, rem bonorum omnium consensione probatam in controversiam adduci, quasi verò solem lucere argumentis probandum sit, seu, quod æquè certum videtur, Ciceronem optimum esse oratoriæ imitationis exemplar apud homines literatos revocari possit in dubium. Ea tamen est, Auditores Præstantissimi, humanæ mentis conditio, ut circa singulas ferè res, in quibus veritatem expiscari contendit, opinionum diversarum fluctibus agitetur, eaque fortasse in Cicerone imitando difficultas, is labor est, ut vel hominum incuria, & inscitia, vel ipsorum temporum vitio identidem mala pro bonis libentissimè accipientium contingat, Ciceronem, si non vituperatur, non amari saltem, ac diligi, & à nonullis admiratione quidem, non autem imitatione dignissimum appellari. Licet itaque seculi nostri perpoliti, doctissimique literatura stet pro optimo dicendi genere, adeoque Tullianarum sit partium, libenter tamen hàc super quæstione mihi fingo adversarios, vosque, Auditores optimi, judices habeo libentissimè, dum pro Cicerone agere aggredior, adnitorque paucis ostendere, illius auream dicendi copiam, & elegantiam, dignitatem, & vim, majestatemque gravissimam, facultatem denique omnem ad optimum oratorem instituendum informandumque unicè posse conferre.

In hoc tamen dicendi principio video, Auditores, planèque sentio, multa mihi, quæ sapientiam vestram non latent, esse prætereunda, multaque leviter attingenda, ut satietati vestræ in ipso certè orationis initio prudens occurram. Nihil igitur loquar de exemplari eligendo in rebus omnibus, quas quis aggreditur, optimo, & perfectissimo, neque ex generali hac positione ad rem nostram descendens argumentis probare con-

tendam, ad optimi exemplaris normam oratorias artes dirigi oportere, quarum dignitas æquè, ac difficultas nullum laborem, industriam nullam, ac diligentiam facit in sui acquisitione supervacaneam. Quod verò tyronibus pariter, ac veteranis Oratoribus sit opportunum, illisque magis, quàm his præceptorem sibi deligere expediat, ac veluti pædagogum, quem omnium veterum putent excellentissimum, id verò adeo certum, adeo extra omnem controversiam positum esse judico, ut ab iis tantum negari possit, qui vel militarem disciplinam sub gregario milite magis, quàm sub optimo imperatore addiscendam, vel ad alias quaslibet artes comparandas nihil prorsus experientissimi magistri institutionem conferre arbitrantur. Causam itaque statim aggredior, quam quidem, nisi ego fallor, omnino tenere arbitrabor, si vobis possim persuadere dicendo, Ciceronis opera Rhetorices ornamentis omnibus redundare, & insuper esse omnigenæ Sapientiæ luminibus refertissima. Hoc enim primo statuendum est, elegantiam verborum, compositionem, & dignitatem, quibus certè tribus omnis perfectæ elocutionis excellentia continetur, pertinere quam maximè ad optimum oratorem, bonum tamen illum esse non posse, nisi etiam sit sapiens, nisi de rebus omnibus dicere possit ornatè, ac sapienter. Hìnc Eloquentia ipsa ingeniosè non minus, quàm verè à Tullio dicta est copiosè loquens sapientia; neque enim quorumdam copiosa garrulitas, loquacitatis unicè redundantia pollens, quæ nullis contenta legibus, nulla arte coercita turbido tantùm impetu quaquaversum effunditur, Eloquentia putanda est; Hæc quippe rapit Audientium animos, illa confundit, persuadet hæc, hominumque affectibus suaviter imperat, illa verò nescio qua specie furoris indoctos tantum, impudentesque homines occupat, invadit, exagitatque, brevi tamen ad sanam mentem, simul ac fascini illius vis deferbuerit, reversuros. Quantùm itaque legitimi regis justum imperium ab effrænata Tyranni violentia, tantùm in dominatu animorum sapientis oratoris facundia à diserti

fortasse

fortasse hominis, sed tamen indocti copiosa loquacitate differre solet. Quantam igitur flexanimæ hujus, copiosèque loquentis sapientiæ vim in Consule Arpinate fuisse fatendum est, qui unicà fretus facultate dicendi non illustravit solùm obscuri generis novitatem, non obtinuit tantum Rempublicam, supremisque in illa honoribus potitus est, sed difficillimis sanè temporibus à perditorum civium insidiis liberavit, à conjuratorum furore defendit, à vastitate, ab incendiis, ab extremo denique fato solus eripuit? Una nempe Tullii Sapientia Clodii ambitum, largitionemque coercuit, eadem Catilinæ scelus, nefariosque sociorum conatus ignominiis, vinculis, exilio, morte multavit; Quin & Romanam libertatem Partium primò furore discerptam, deinde Cæsaris victoria oppressam penitus, & deletam, post mactatum denique Tyrannum infirmatis Antonii tabulis, rogatione sublata, illiusque superbia, astu, rapinisque omnibus in propatulo positis paulùm respirare coegit; Et vindicasset quidem omnino libertatem eamdem ab invidiosa Triumvirorum potestate, si vel Antonii rabies, & Lepidi minore aliquo scelere, quàm Ciceronis morte satiari potuisset, vel apud Octavium effræna minus dominandi libido, quàm acceptorum beneficiorum recordatio valuisset. Sed quid ego pro Sapientissima ejus facundia Romanæ historiæ fidem imploro, quid conjecturis pugno, quid longa argumentorum machinatione ex Tullii potentia, ac dignitate in Republica sua tunc rerum Domina Sapientiæ illius vim, facultatemque penè divinam nitor vobis ostendere? Extant viri summi monumenta clarissima doctrinarum copia referta, Sapientiæ plena, quibus luculentissime propositi mei testimonium innititur, in quibus certè, si ea diligentissimè tractare velis, nihil eorum desideraveris, quæ ad eruditionem, ad rerum scientiam, omnigenamque literaturam spectare videntur. Enim verò, Auditores, sapientia ipsa, quæ divinarum, humanarumque rerum notitiam complectitur, si ad vitæ præsentis usum referatur (secerno enim nunc, & sepono quæ sunt religionis, quorum

aliunde

aliundè nobis præcepta petenda sunt, quæque ad rem nostram non pertinent) sapientia igitur, quæ respicit usum humanæ vitæ, quaque præ primis optimum Oratorem indigere statuimus, in regendis hominum moribus, officiisque communibus recta rationis regula dirigendis præcipuè versatur; Eaque profectò est scientia homine dignissima, quæ si forte prudentis viri animum perfecta sui possessione ornatum faciat, ac divitem, ejus tunc sermo à vulgari tantùm distabit, quantùm virilis oratio, ac considerata supra puerilem, vanamque garrulitatem assurgit; Et quoniam hujusmodi sapiens homo uniuscujusque animum scientia sua quodammodo penetrat, intimasque aliorum cogitationes, ingenium, naturamque veluti divinat, hinc nemo se possit ab illo defendere, tenetque solus ingentes hominum cœtus, mentes allicit suavitate dicendi, majestate quadam, ac vi voluntates impellit, in summà Auditores omnes, quò velit, aut undè velit, meliùs quàm in Gallici Herculis, aut Orphei fabella, felix deducit. Jam verò, si veterum omnium scripta rimemur, philosophiæ istiusmodi officiorum, & benè vivendi disciplinam continentis saniora nequisquam, aut graviora præcepta inveniet alicubi, quàm in divinis Tullii Commentariis? Ibi Stoicorum severitas, sed jucunditate quadam condita, ibi Peripateticorum subtilitas, sed à tricarum laqueis expedita, & libera, ibi tota Platonis sapientia, sed viventium hominum, quales natura gignit, consuetudini accomodata. Eruditionem modò vestram appello, Auditores Præstantissimi; Putatisne Socratem, vel Arcesilam, aut alios veteris, novæque Academiæ Philosophos excellentissimos de contemnenda morte, de tolerando dolore, de ægritudine, cæterisque animi perturbationibus leniendis tanta constantia, aut dignitate disseruisse, ut eorum, quæ extant sententiæ, disputationumque fragmenta quæstionum Tusculanarum Dialogis primas non deferant? In quibus quidem Dialogis, & in aureis sanè voluminibus, quæ de Deorum natura, de Divinatione, & de Fato conscri-

psit

psit Cicero, id potissimum elucet acerrimi acumen ingenii, eaque insuper honestas, ea religio, & viri boni, ac sapientis probitas, ut virtus ipsa ex porticu Zenonis Romam migrasse putanda sit, stoicoque deposito supercilio, amabiliore quadam specie, & virili quidem, sed paulò mundiore cultu Ciceronis ope sinceram illius speciem depereuntibus fuisse proposita. Quid verò dicam de consummatissimo opere, quod de officiis inscripsit, de cujus laudibus nemo dixerit satis? Nonne Stagiritæ præcepta quælibet admirabilia sanè, & omnium temporum consensu probata, quibus civilis, honestæque vitæ institutionem Philosophus ille complectitur, nonne inquam Aristotelis, lyceique universi præcepta omnia moralia in libro de officiis tradita sunt, illustrata, emendata etiam, amplificata, & mira quadam ordinis facilitate disposita? Desideraturne insuper in illo tota, quanta est, veterum sapientissimi Socratis illa severitas, dulcissimo tamen Divini Philosophi melle delibuta penitus, ac delinita? Quam sententiarum, doctrinarumque selectarum copiam è prædictis Ciceronis operibus redundantem ad novi oratoris institutionem vehementer conferre nemo vestrum negaverit, æquissimi Judices, ita ut, nisi ulteriùs procedere possit oratio, & si me reliqua, quibus opprimor, argumenta deficiant, tamen sperare possim cuncta suffragia vestra ex iis tantùm, quæ hactenùs demonstravi. Si enim oratoris nomine dignus non est, qui Sapientiæ rectricis morum, vitæque magistræ non fuerit discipulus, atque alumnus, sique hujus perfectissimæ Scientiæ præcepta omnia, vel à purissimis veterum fontibus derivata, vel de suo penu deprompta in elucubrationibus memoratis Tullius congessit, erit igitur ille unus pro omnibus, erit ille præ reliquis a quocumque oratore imitandus. Sed unica certè non est Sapientia, quæ faciat homines eloquentes. Cogitationum quidem optimarum dignitas, & amplitudo fœcundare solet philosophorum ingenia, iique sunt reliquis vivendi exemplar, iidemque felices, ac beati sine perturbationibus, sine solicitudine in Platonico illo

animi

animi rectè compositi regno tanquam in edita specula considentes à reliquorum hominum turba, non secus ac ab infima plebe magnates secreti gaudent, summisque omnium honoribus cumulantur. Appositè enim Lucretius

Nil dulcius est, benè quàm munita tenere
Edita doctrina Sapientum templa serena,
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palanteis quærere vitæ.

Ipsa tamen, quâ sapientum animi perfunduntur, sincera licèt suavitas ad vitæ communis usum, civilemque consuetudinem pertinere minus videtur, nisi qui sapiens est, sit pariter eloquens, nisi tam magna, eximiaque animi bona in alios facundia sua possit effundere. Hoc verò sermone tantùm, unico videlicet animorum interprete, præstare possunt sapientes viri, qui quidem sermo legibus quibusdam castigatus, & intra certos regularum limites arte coercitus tunc demum perfectam Eloquentiæ formam induit, speciemque pulcherrimam. Rem, ut video, tenetis, Auditores, & quid oratio nunc postulet planè perspicitis; Imitandum quippè ab oratore Marcum Tullium propono, non solùm quià sapientissimus est, sed quia oratoriæ artis præceptor præcipuus. Præceptorem dico? Quin potius parens ille est, atque auctor nobilissimæ facultatis. Erraret fortasse usqueadhuc in Eloquentiæ Tyrocinio exlex juventus, nec satis claro se lumine præeunte cœcum iter ingressa niteretur frustra ex privata, & umbratili exercitatione in publicam concionis lucem prodire, nisi ad oratoriam artem illustrandam, in ea, quæ de oratore inscripta sunt, volumina incubuisset Tullii sapientia. Nam, sicut audacissimus quilibet gubernator, qui navem alto commiserit, nec hydrographica tabella fuerit instructus, frustrà tentaverit ad destinatum litus appellere, nisi fortè fortuna, secunda, & prospera ventorum vi, ususque sidere nimium benigno agatur in Portum, ita profecto Dialogi illi de Oratore laudatissimi sunt nauticæ instar tabellæ, & pyxidis, sunt veluti clavus, & Cynosura, quibus

eget

eget omnino; quicumque in vastissimo oratoriæ facultatis Oceano versari cupit, scopulosque in illa multiplices, syrtesque, & brevia, ac mille pericula plurimorum naufragiis infamia evitare. Neque enim, Auditi magna mens, acre ingenium, aut reliquæ animi dotes oratori admodum necessariæ ad nobilissimæ facultatis, non dico excellentiam, sed ne mediocrem quidem usum multum conferre possunt sine præceptorum quorumdam recta dispositione, sine institutis, certisque rationibus, demum sine arte, quæ per immensa spatia vagaturos regat, ac moderetur. Quod si Tullio universæ artis methodum deberi fatendum est, sique ille præceptis suis in omni dicendi genere usus est modo quodam, & ordine prorsus inexplicabili, nonne ille erit omnibus dicendi magister, præcipuè verò Eloquentiæ Candidatis, quorum singuli ferè gressus moderatore indigent, ac rectore, & primi certè conatus vani, atque irriti futuri sunt, nisi præceptis optimis in arte difficillima instituantur? Et hæc quidem Ciceronis imitatorum est præcipua felicitas, ut si compendio rem agere velint, brevioremque exemplorum viam tenere, non ideò tamen culpari possint, quòd longius iter, quod per præcepta ducitur, deseruerint. Agite ergo, Juvenes ingeniosissimi, nec tanta in literarum latinarum studiis tædia vos subeant; Indebitis aliquandò querelis parcite, nec vos ab incepto, quam jactatis, prolixitas illa nimia oratoriæ artis deterreat. Audivi enim non paucos ita fermè inertiæ suæ, atque socordiæ quoddam veluti velum obducentes: O' miseram profectò honestorum vitam adolescentium, cujus anni florentissimi in senticosa, atque horrida latinitatis indagine labore improbo deteruntur! Hinc nos opprimit copia librorum, quorum elenchus morosi etiam senis patientiam oneraret, nedum innumeræ paginę innumeris quà præceptis, quà exemplis ad nauseam usque refertæ à fervidis animis possint sufferri; Illinc inconstans literatorum ingenium, & omni nedum seculo, sed etiam ętate diversus admodum scriptorum stylus mirum in modum torquet incer-

tos

tos eorum, quæ *ſequenda ſint*, & *quæ vitanda viciſſim*, & dubios cretane, an carbone notare oporteat, quæ lectitamus. Inopes igitur nos facit copia, namque, ut bellè temporum noſtrorum inſaniam mordens nobilis exclamat Satyricus,

Undique chartis

Obruimur, ſtringuntque oculos, jugulantque legentes.

Quàm vanæ tamen ſint Juvenum iſtiuſmodi querelæ ipſi diſpicitis, Auditores Præſtantiſſimi, quibus certè perſuaſum eſſe non dubito, ab imperitia plerumque ſtudioſorum juvenum longius fieri, quàm decet, ſtudiorum curriculum; ſi enim velint (quod olim à Sapientibus factum fuiſſe commemorat nuper laudatus ille Satyricus) ſi velint, inquam, ampla quidem ſupellectile librorum uti, ſi non multos codices legere, ſed eos multo pollice attritos, conſpicuoſque longo uſu, teſtiſque lucernæ fumo, invenient in unius Tullii voluminibus, ubi univerſam dicendi artem addiſcant; in iis enim vera eſt, & perfectiſſima Eloquentiæ, ut ſic dicam, Encyclopedia. Sic, qui velit ſublimi dicendi genere ſupra vulgarium hominum captum aſſurgere, inveniet in Verrinis actionibus, in Catilinariis, & in ſecunda præcipuè, divinæ famæ, Philippica Romanæ Linguæ majeſtatem è Curuli ſella perorantem; nec minus admirabile inveniet medium illud dicendi genus, quod præceptrici facundiæ convenit, in ſupra memoratis, quæ de Philoſophia ſunt, Voluminibus, nec tandem in Epiſtolis vel ad Atticum, vel ad Familiares deſiderabit ultimum dicendi genus utiliſſimum mentis humanæ ſenſibus ingenua quadam ſimplicitate aperiendis. Taceo de verborum delectu, proprietate, copia, elegantia, quæ omnia ſimul Oratoriæ Artis candidatus, ſi in Cicerone non quærit, inveniet nullibi. Me tamen de his propter temporis anguſtiam tacente, Elocutio ipſa clamat, quoniam ejus ſunt ornamenta præcipua, ſine quibus inculta, & rudis, barbara inſuper, & mendoſa fuerit latina Oratio. Quæ tamen, dum approbatione veſtra, Judices, excepta eſſe ſatis intelligo, ſi rectè ex oculis iſtis, & vultu voluntatem veſtram

conijcio, nescio quis auribus meis obstrepere, unoque, aut altero adversus ea, quæ dicta sunt, argumento pugnare velle videtur. Quibus ego, quæ in contrarium afferri possunt, nisi penitus satisfaciam, palinodiam me canere putatote, adversariis credite, Ciceronem ne legite. Est itaque in literatorum Republica hæresis quædam putantium, Romanos quidem rerum Dominos orbis terrarum imperium armis tenuisse, disciplinarum verò, artiumque illarum, quæ ad humanitatem pertinent, sed præcipuè literarum, & Eloquentiæ regnum Athenis floruisse. Negant proinde quemquam eruditum satis, atque eloquentem haberi posse, nisi qui Atticæ linguæ peritissimus Demosthenem deperierit, nisi qui Dirces aquam potaverit, & è purissimis, quos vocant, Græciæ fontibus hauserit Eloquentiam. Cum itaque Cicero Græcis certè Auctoribus fuerit infestissimus, eorum etiam gloriæ invidus, quod affirmant non pauci, iterum proinde negant, ab unico saltem Cicerone universæ artis oratoriæ vel præcepta, vel excellentiam disci posse. Sed nos ultrò Græcis concedimus inventionis laudem, nec imus inficias, Laconicæ eloquentiæ Principem Demosthenem, qui, Plutarcho teste, quicquid ei vel natura, vel exercitatio solertiæ, & eruditionis tribuerat, id omne contulit in artem dicendi, admiratione esse, ac laude dignissimum. Quis tamen contra negaverit, divinum illud ingenium Tullii, vel dum juvenis disciplinæ causâ moraretur Athenis, in eo bonarum artium, omnigenæque Sapientiæ emporio locuplètissimo depopulatum fuisse bona omnia Græcorum, & vel exinde fecisse superbam gentem eruditioni suæ vectigalem, Romanæque facundiæ stipendiariam, ac servam? Neque hoc gratis dicere auderem, vel sine locupletissimis, certissimisque testibus affirmare. At quis Græcis hominibus contra Græcos testimonium afferentibus non crediderit? Plutarchus itaque refert, Apollonium quemdam Molonis filium oratorem sui temporis celeberrimum, qui fuit etiam Tullio græcæ Eloquentiæ præceptor, quæsivisse aliquando ab Auditore suo, ut in frequenti Concione

ne græcè declamaret; Ciceronem ei morem gessisse libenter; Postquam verò declamavit, cęteris stupore defixis, & certatim collaudantibus, unicum Apollonium diù sedisse cogitabundum: petentibus inde importuni silentii causam, & aliis, num sibi placuisset Cicero, curiosè interrogantibus, aliis illum invidia stupefactum suspicantibus, attonito similem exclamasse: *Te quidem laudo, Cicero, & admiror; Gracia verò miseret me conditionis, cum cernam, qua reliqua nobis sola erant ornamenta, ea quoque te ad Romanos transtulisse, literas, & Eloquentiam*. Quæ si Græci Institutoris judicio præstitit Tullius, vel dum primis imbueretur Oratorum præceptis, quid illum in hoc genere perfecisse putatis Oratorem factum, de Oratore scribentem, tamdiu exercitatum in foro, assidua studiorum consuetudine perpolitum, & in usu sapientiæ consenescentem? Quærant igitur alii minuti nimis, & angusti veluti ex miserrimo spicilegio proventum, & temporum injuria vastata græcorum arva tenui diligentia rimentur; nobis licet ad Ciceronis horrea confugere, conditasque ibi, servatas, atque auctas atticas messes in nostrum usum convertere. At reponit hìc aliquis ex præconceptis opinionibus Præceptori nostro nondum benè amicus: At numquid literariæ annonæ præfectus unicus Tullius? Numquid ille oratoriam rempublicam unus tenet perpetuus Dictator? numquid ille Rex, ac Tyrannus ingeniorum libertatem poterit jugulare, omnesque ad unum in sui imitationem abripere? Non una profectò est, eaque perpetua Eloquentiæ forma, nec omnes eodem modo sumus à natura temperati, ut vel mente concipere, vel sermone, cæterisque animi instrumentis eadem felicitate conceptus nostros possimus exprimere. Quidquid enim Philosophi de primigenia, & uniformi animorum excellentia disputent, corporum certè, quibus illi demersi sunt, magna diversitas, ut, sicut ex Poetæ dicto, *Non omnis fert omnia tellus*, ità non à singulis hominibus singula liceat expectare. Sic in ipsa, de qua agimus, re veterum Gręcorum Eloquentissimi, iidemque multum sapientes non eandem

 in

in dicendo laudem adepti ſunt. Ut enim nihil dicamus de Laconiſmo Demoſthenis, cujus Cicero gravitatem, & gratiam imitari certè non potuit, impetuoſam, torrentemque Carneadis facundiam fuiſſe, Diogenis verò Stoici jucundam, & prudentem, circumſpectam, & ſuavem Critolai Peripatetici Eloquentiam fuiſſe memoriæ proditum eſt. E' noſtris verò quis jure invideat Senecæ ſuas laudes, aut non potiùs illa ſententiarum gravitate, illo ingenii acumine non rapiatur? Alios etiam delectare poteſt Livii facilitas, alios capere Cornelii profunditas. Non igitur ab uno Cicerone univerſæ oratoriæ artis præcepta eruenda, cujus excellens licèt, ſublime, ac penè divinum dicendi genus, unum tamen eſt, adeòque non ſingulis accomodandum. Tu vero, quiſquis es, audes Ciceronem unum dicere? At Quintilianus illum effinxiſſe dicit vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis; At illum Plinius extrà omnem ingenii aleam poſitum eſſe fatetur, & ſplendidiſſimam doctrinarum omnium lucem appellat; At illum Hortenſius, Romanique Oratores ejus contemporanei invidioſo nomine Regem vocabant, quoniam in foro, in campo, apud Judices, in concione, pro roſtris, in ſella curuli dominari viſa eſt omnium animis Ciceronis Eloquentia. Ut igitur una eſt lux, ſed in varios mille colores è diverſorum corporum ſuperficie reſultans diſtinguitur, ut unus eſt ſpiritus ille mundi machinam intus agens, ſed dum *magno ſe corpore miſcet*, naturas omnes, ut quæque illarum exigit, fœcundat, ac regit, ita una, & multiplex M. Tullii eloquentia, ex qua quiſque pro modulo ingenii ſui poteſt vitam, & ſanguinem haurire, cujus inſuper tanta eſt in formanda potiſſimum juventute efficacia, ut neminem omnino in literarum ſtudiis ſibi placere poſſe, cui Cicero non placeat, audacter pronunciatum fuerit à Quintiliano. Qui verò reliquos etiam ætatis aureæ, vel ſaltem non deterioris auctores cum Cicerone audent conferre, hi vel non audiendi, vel ſaltèm non in extrema tantum orationis particula ſunt confutandi. De Seneca tantùm, quem ſcio ve-

luti

luti Ciceronis antagoniſtam à nonnullis prædicari, pauca dicam. Primò itaque ſuas illi laudes non invideo, fateor multiplici, variaque doctrina cenſeri, acutum eſſe non nego, laudabilemque Philoſophum; ſed ut pictura non tantùm luminibus, & pàrtium æqua poſitione, ac menſura conſtat, atque excellit, ita ſententiarum illa frequentia, ſeu potius continuatio nullum umbris relinquens locum, ſine quibus neque Pictura excellit, Senecæ ſtylum facit ſalebroſum, ac devium. Quid quòd ut vana ſunt, & futilia Tyronum ingenia; facili negocio ampullas meras pro ſententiis projiciunt curioſi nimium Senecæ imitatores? Nugas inſuper ſuas vocare audent amœnitates, luxuſque ingenii, ornamentaque artis eximia homines lepidiſſimi; Et ſi quis eorum, ut olim, audiente Antigono, Rhetor ille inſipiens, & inficetus ſciverit dicere, *Anni tempus nives parturiens regioni herbæ ſterilitatem invexit*, aut reliqua hujuſmodi, ſe putat ſuper Ajacis arma cum Eloquentiſſimo Laertiade poſſe diſſerere. O' inanes animas, ò captatores umbrarum, ò præpoſteros decepti ſeculi mores! Affectet hiſtrio turbidum popelli plauſum, productuſque mimus in ſcænam quærat, ut in proverbio eſt, in muſtaceo laureolam. Qui verò cupit ad aliquam Oratoris laudem pervenire, animo pariter, atque ore, eruditione, ſtylo, ſapientia, verbis, artis nobiliſſimæ dignitatem tueatur; Niſi verò Roſcius ille putari debeat eloquentiſſimus, quòd librum ſcribere auſus eſt de Comparatione Eloquentiæ, & Hiſtrionicæ, ut Macrobius memorat in Saturnalibus, ad hanc nempè dementiam elatus, quòd actionis ſuę imitatorem ſibi contigit habere Tullium, imò etiam Diſcipulum. Non ita vos, Prętantiſſimi Juvenes, ſed in Ciceroniana imitatione, quod facitis, omnes ingenii veſtri nervos intendite, ſi modò, quod ſpero, Sapientiſſimorum Judicum ſuffragiis deliberatum fuerit, Ciceronem vobis unicè imitandum, optimum ſcilicet oratorię artis prçceptorem, ac Ducem.

UT Auditorum tædio aliquà occurreremus, visum est non importunum aures demulcere Hetrusca Poesi musicis cantibus, fidibusque modulata pro seculi more. Et quoniam Didascalicum ferè est Academiæ institutum, in hoc veluti choro induximus DISCIPLINAM, & JUVENTUTEM, quarum prima tradit præcepta quædam ad dirigenda studia literarum humaniorum non inutilia; altera, scilicet JUVENTUS indocilem se primò præbet, & cavillosam (quæ vanitas ejus est) mox verò in secunda dramatis parte, quæ extat ad calcem Academiæ, fatetur ultrò experiendo se didicisse, referre plurimum ad oratoriam facultatem, ac Poesim sedulò acquirendam optima Veterum Auctorum exemplaria imitari. Laudat proinde damnatam antea DISCIPLINÆ severitatem: hanc ipsius etiam carminis tenor, & forma videtur exprimere: Duriusculus igitur, in quem fortasse incides, Actorum sermo, nec undequaque referens Poeticam amœnitatem; eum nempè decebat esse sermonem tradentis præcepta, vel accipientis.

CANTATA.

PRIMA PARTE.

Diſcip. FErma non tanta fretta,
O GIOVENTUDE eletta.
Io ſon la DISCIPLINA
Che dò regola, e norma al tuo cammino:
Quella, che ſprone, e duce
All' alto Tempio, ove riſiede Onore
Il dotto Stuol conduce.
Rigida ſon; ma figlio
E' d' un ſincero affetto il mio rigore.
Quei ſol, che al mio conſiglio
Il ſuo ſavere affida,
La ſaggia Dea nel ruolo ſuo ricetta.
Ferma; non tanta fretta.

Deſtriero alato,
Che lena, e fiato
Nel pian perdè,
Alla ſalita
In vano aita
Chiede al ſuo piè.
Deſtriero, &c.

Così fermo tra via
Senz' onor della palma,
Poiche fu troppo ardito,
Confuſo reſta, vinto, e ſbigottito.

Gio. Mi diceste pur dianſi
Lunga eſſer l' arte, e della vita i giorni
Correr veloci, quanto corre il vento.
Far d' uopo a chi di ſaggio
Il nome cerca, e l' immortale onore,
Che penſi ogni momento
A muover paſſo avanti
Nell' erto fatigoſo aſpro viaggio.
Fra via mi figuraſte
Cinto da folta ſiepe un campo ameno
Di mille fior ripieno:
E mi diceſte poi,
Quì pungere abbiſogna, e mano, e piede,
E chi ſi punge più, più ricco riede.

Pellegrin, che fermo ſtà,
Mai non giugne al patrio ſuolo,
E più duolo
Nel ſuo cuor provando và.
Ape umil, che riposò
Stanca il volo in un ſol fiore,
Senza onore
Al ſuo nido ritornò.
Pellegrin, &c.

Diſ. Tal debbi impennar l' ali.
L' Amico tuo deſtino
In queſta ſtrada, in queſto campo ameno
Simil ti vuole all' Ape, e al Pellegrino.
Al Pellegrin, che tardo
Si ferma in ogni loco,
Finche del tutto pago
Viva la bella imago
Di ciò che vide, forma nella mente,
Onde poi ritornato

La

La truovi nell' Idea ſempre preſente.
L' Ape ſimigliar dei, ma non già quella,
Che vola ſempre, e fugge
D' uno in un' altro fiore,
E non poſando mai mele non ſugge.

Gio. Spinta da zelo, e da desìo d' onore
E' ver, che volo ſempre,
Ma per ſuggerne il mel colgo ogni fiore.

Diſcip. Giardinier, che ſul mattino
Coglie tutto
Il più bello,
Che la pianta generò
Nel fecondo ſuo Giardino,
Quando l' vede ſenza frutto,
Poiche il fior non allegò,
Ei ſi lagna notte, e dì,
E non penſa eſſer lui quello,
Che 'l Giardino impoverì.
Giardinier, &c.

La ſcienza è un vaſto mare,
Cui ſolcare abbiſogna
Con metodo, e con arte.
Se 'l ſagace Nocchiero
Con provido conſiglio
Non miſura ogni paſſo, e loco, e parte,
Trova uno ſcoglio, dove
Più ſicuro credea il ſuo naviglio,
Vi ſon delle procelle,
Dove par cheta l' onda,
E ſe t' inoltri più, ti perdi in quelle.
Altre vince il coraggio,
E 'l nobile ardimento
Nel primo ſuo cimento.

Altre

Altre più fiere poi
Coll' arte, e coll' industria,
Non colla forza superar le puoi.

Gio. Nocchiero accorto,
Che al vento scioglie
La Navicella,
Non sempre trova
Fiera procella
Da disfidar.
Talora in porto
Le vele avvoglie,
Che appena il crede,
E sol lo prova,
Perche si vede
Fuori del mar.
Nocchiero, &c.

Se così fia, per voi
Necessitade è il caso.
Forse chi sà, che non poss' io per questa
Onda sì borascosa
Il mio corso drizzar senza tempesta?

Dis. Fin' or tra' fiori senza mai fidare
All' onda il piè, non ti scostasti mai
Dalla Riva, e dal lido. Al mare, al mare.

AD

AD MUSAM

ODE.

QUæ te, MUSA, premit cura? Quid anxia
Sic mens ambiguis fluctibus innatat?
Argutum renuens tendere barbiton
Hæres, nec ſolito duceris impetu.
Inflare altiſonam Calliopes tubam,
More & Cecropio dicere carmina
Non audita prius quod nequeas, doles?
Non hic crede mihi, MUSA, labor tuus;
Parvam tange chelym carmina lesbia
Componens: humilem grandia non decent.
Queis eſt ingenii vena perennior,
Extollant alii magnanimos viros,
Juſtos, intrepidos, conſiliis graves,
Non adverſa quibus, proſpera nec nocent,

Quos

Quos cunctis animi dotibus inclytos
Virtus æthereis clarat honoribus;
Culpa hæc ingenii detereres tui.
Dic, oro, potiùs VINEA quæ sit hæc,
Quàm cordi tibi sit, donaque quæ ferat,
Vites quæque tuæ pocula temperent;
Num fumantia sint, dignaque Cęcubis
Conferri, & sapidis æmula Massicis.
Hujus mite solum; Solque perennibus
Fœcundans radiis assiduò coquit.
Vinum ni sapiat, si pretio caret,
MUSA, est Agricolæ, culpaque Vitium.

AD

AD VINEAM

EPIGRAMMA.

Vinea ruris honor, Paſtorum ſola voluptas,
Unica ſpes Urbis, delicium DOMINI,
Dulcia vina feras votis æquanda, quibuſque
Pontificum cœnæ non meliora parent.
Inſcripto hæc DOMINUS ſi ſignet nomine, ruris
Quæ decus exigui es, tunc eris Orbis honor.

PARAPHRASIS

1 EDite Mecœnas atavorum Sanguine Regum,
2 Præsidium ò nostris, decus ò, spes unaque rebus,
3 Sunt quos curriculo collectus Olympicus urget
Pulvis: & ad Superos, qui præsunt numine terris,
Evitata citis extollit meta quadrigis,
Nobilis & merces operosi palma laboris.
4 Hunc si mobilium certatim turba Quiritum
Tollere tergeminis contendat honoribus;
5 Illum
Gaudentem patrios ferro proscindere campos,
Horrea si lætis implevit messibus, uber
Quas aluit Lybie Dominum factura beatum,
6 Nunquam dimoveas opibus, quibus Attalus auxit
Fortunas Populi, majestatemque Latini,
Ut rate Myrtoi secet æquora navita Ponti.
7 Mercator metuens, dum luctans Africus undis
Ingruit Icariis, amat otia, laudat & Urbis
Rura suæ; reficit mox carbasa saucia ventis
Pauperis indocilis tolerare incommoda vitæ.
8 Est qui non spernens prælis expressa Falerni
Vina, trahit solidis convivia læta diebus,
Membra sub arbuteo nunc stratus tegmine, sacras
Nunc ad lene caput volventis fluminis undas.
9 Multos castra juvant, sonitus lituisque tubarum
Permistus, damnata piis & matribus arma.

10 Imme-

1 MEcœnas atavis edite regibus,
2 O' & præsidium, & dulce decus meum:
3 Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat: metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum Dominos evehit ad Deos.
4 Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus,
5 Illum, si proprio condidit horreo
Quicquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros,
6 Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus Nauta secet mare.
7 Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium, & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas indocilis pauperiem pati.
8 Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
9 Multos castra juvant, & lituo tubæ
Permistus sonitus, bellaque matribus
Detestata.

10 Immemor afflictæ Venator conjugis alget
Sub Jove, seu Cervam catuli videre fideles,
Obliquo laceravit Aper seu retia dente.

11 Me miscent hederæ sapientis præmia frontis
Diis superis; populo secernit sylva profano,
Nympharumque leves choreæ, Satyrique procaces;

12 Si non Euterpe cohibet, quas inflat avenas,
Tendere nec refugit Lesboa Polymnia fila.

13 Quòd si me Lyricis, MECOENAS, Vatibus addes,
Me major feriam sublimi sidera fronte.

AD JUVENTUTEM

EPIGRAMMA.

IO Sol nitidus tibi, Juventus,
Fulget, splendidior micet nec ullus.
Pernix desere carceres morantes,
Et cursum pede curre concitato.
Si cordi Aonios referre honores,
Si vis Eloquii vigere fama,
Marcus, Flaccus eris, Maro, Tibullus,
Et quidquid fieri petis, rogasque:
MECOENAS hilari renidet ore.

10 *Manet ſub Jove frigido*
Venator teneræ Conjugis immemor,
Seu viſa eſt Catulis Cerva fidelibus,
Seu rupit teretes marſus Aper plagas.

11 *Me doctarum hederæ præmia frontium*
Diis miſcent ſuperis: me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo:

12 *Si neque tibias*
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

13 *Quod ſi me Lyricis vatibus inſeres,*
Sublimi feriam ſydera vertice.

Pastor Æstate adventante sic Oves suas alloquitur.

E L E G I A.

ITe meæ Pecudes: cessit nimbosus Orion,
Nec torpet rigido terra soluta gelu.
Flant Zephyri mites auræ, dulcique susurro
Invitant celeres ad loca læta pedes.
Ite meæ Pecudes; jam sicca incanduit æstas;
Pabula, ut ante, Ovibus non habet apta locus.
Sollicitum me vidit hyems noctuque, diuque,
De grege ne Domini vota minora forent.
Averti glaciem tectis, ventosque nivales
Sedulus, extruxi vimineasque casas;
Vosque umquam gelido non ausus credere cœlo
Virgea jejunis pabula sæpe tuli.
Nunc iter ad Montes properandum: scilicet una
Sunt requies Montes, deliciæque Gregis.
Ver ibi perpetuum, seu fundat Aquarius imbres,
Torrida seu Sirii ferveat ira Canis.
Mitis temperiem cœli non asperat Eurus,
Nec, madido præceps qui volat ore, Notus.
Collucet geminum certo illic fœdere Sydus,
Quod mira replet fertilitate locum.
Pascua quis vobis memoret, quis florida prata?
Sunt casiæ, & salices, cum cythisoque thyma.
Mane novo canent dulcissima gramina rore;
Sic tenera innocuo gratior herba Gregi est.
Sunt putei, atque lacus, currensque canalibus unda
Ilignis avidam temperat hausta sitim.
Æstibus in mediis, ubi plurima quercus, & ilex
Panditur, egelidum præparat umbra locum.

At

At cum Vesper adest, tunc roscida Luna reponit,
Quæ fuerant longo pabula carpta die.
Pascua quod tamen exuperat, puteosque, lacusque,
Temperiem Cœli, deliciasque loci,
Ille est, qui nobis hæc unicus ocia fecit
Gloria Pastorum, vitaque sola gregis.
Quid cum Pastorem hunc, Dominumque videbitis illic?
Grex meus ò Domini lambere disce pedes.
Comis hic excipiet, gremioque fovebit amico,
Lætitiæque dabit plurima signa suæ.
Fama tui Dominum sed maxima detinet: Hujus
Ne desideriis sis minor, ipse vide.
Altior, alta petit, neve Hic mediocriter optat:
Cum magè pingue Pecus, tunc magis illud amat.
Te studeas igitur denso distendere pingui,
Et teneros artus herba salubris alat.
Aspera non tentet scabies, turpesque podagræ,
Et mala, quæ pecori sæpè nocere solent.
Et te lana tegat, nivibus quæ candida certet,
Marcida nec turpi fœteat illa situ.
Turgida sub noctem superent vix ubera limen,
Pressaque candenti nectare mamma fluat.
Quævis Agna gravis, sit quævis fœta Capella,
Fœtura ut veterem suppleat ampla Gregem.
Felix Grex, tenero si spes respondet amori:
Hinc Domini crescent gaudia, crescet amor.
Pastores leget Hic, queis nec vicinia tota
Industri memoret sedulitate pares.
Augebit puteos, laxabit ovilia, septis
Claudet, ne torvus pascua vastet Aper.
Explebit rimas, ne sub præsepibus altè
Condita te saturum vipera nocte necet.
Quin, tibi quæ à Domini veniet reverentia fama,
Nullam dein prædæ spem sinet esse Lupis,

Hæc

Hæc tibi vox ſpondet, mens hæc præſaga futuri;
Speraris quamvis plurima, plura feres.

Ad Ovium Dominum.

EPIGRAMMA.

GRex tuus ecce venit, cui pulchra audacia creſcit,
Quod decus inſcripto à Nomine grande refert.
Majori inde tamen ſuffunditur ora rubore,
Et timet ante tuos procubuiſſe pedes.
Dum, ſpem ne fallat, metuit, precor excipe vultu,
Omnia quo præſens, luminibuſque ſoles.
Et Pater, & Paſtor titulo gaudebis utroque;
Commendat tenera hæc nomina cura, & amor.

Urinatoris cujuſdam verba cæteros adhortantis ad margaritarum piſcatum.

ELEGIA.

SOlvamus comites: tempus jam pandere ventis
Vela: quid in portu nos mora longa tenet?
Acris hyems ceſſit, deduxit machina puppes,
Impulſuque levi ventus, & unda favet.
Candidior cœlo fulget Cynoſura ſereno,
Securaſque Rati nunciat illa vias.
Sat fuimus lenti: tortos incidere funes
Noſter honos, noſtra ars, utilitaſque jubet.
Nec nos perturbent tranſacta pericula, nautis

Majores

Majores animos victa procella facit.
Dulce est irato quondam insultasse profundo,
Et vicisse graves, queis fremit unda, minas.
Neptuni spolia ampla vocant: non cunctor: eamus;
Ad loca, quæ petimus, nos feret aura brevi.
Dum prædæ interea trahimur felicis amore,
Dum spondet tacitis otia pontus aquis,
Discite quo studio, quo concha labore paretur;
Credite; non parvi est ponderis istud opus.
Urinatorum sunt retia tota supellex;
Aut fiscella gravat pendula forte latus.
Ad loca cum venies, ubi sunt conchylia, nautas
Quæ posita hinc illinc lignea vasa docent,
Spongia non desit, quæ pingui exudet olivo,
Quaque tua instructus brachia ritè liges;
Quam, dum nempe maris fluctus descendis in altos,
Respiraturus naribus admoveas.
Tunc resti insideas, lapidis cui pondus inhæret,
Ut citiùs vasti Marmoris ima petas.
Sed priùs appendas inflexo retia collo,
Quorum utinam laxet plurima concha sinus.
Taliter instructus lætum te crede Profundo,
Appensa & resti pondera solve citus,
Ne lapis, introrsum qui profuit unus eunti,
Mox emersuro fit tibi lenta mora.
En loca: prodite è ratibus: vestigia resti.
Credite, & explorent brachia tensa salum.
Restem ego detineo: demergite corpora fundo;
Quo trahitis, fida vos sequor ipse manu.
Dii faveant. Fundo quæ concha tenaciter hæret,
Tundite jam ferro: deproperetis: io.
Si Lamiæ occurrant, animosi occurrite damno:
Nantibus hi pisces sæpe nocere solent.
Sed non dimoveant pavidos à divite præda:

Vin-

Vincatur vigili ſedulitate metus.
Io fida Choors: laxentur retia, conchas
Congerite, & multa merce redite graves.
Vota ſecundarunt Superi; cedamus: abundè eſt:
Quis præda exhauſtum non videt eſſe mare?
Eja agite: egeſtæ conchas credamus arenæ:
En cava vicino in litore foſſa patet.
Nempe repercuſſo putreſcunt lumine ſolis,
Et pandit quævis, quas habet intus, opes,
Ex his ſunt flavæ, nigræ, virideſque, rubræque;
Omnibus alba tamen nobilitate præit.
Alba utinam ſuperet nigras, virideſque, rubraſque;
Rubra licet Mauris ſit pretioſa magis.
Æquoris hujus Herus quamvis magni æſtimet omnes,
Impleritque nitens omnibus omne ſolum,
Quacumque incedit, baccis diſtinguitur albis;
Hac Orbi fama gratior, hac ſuperis.

AD PRÆSULEM.

EPIGRAMMA.

COncharum ex voto ceſſit captura; ſub hujus
Quanta tamen, PRÆSUL, cortice, quotque latent!
Hìc, quos largus alis, funguntur munere Nantum,
Conchæ Virtutes, hoc Mare, tu Dominus.
O' utinam Nantes, Virtutes, & Mare votis
Sint Domini numero, ſint pretioque pares.

PHAN-

Phantasma Poeticum.

O D E.

O' Fausta terris, ò mihi candida
Signanda creta, quæ nituit dies!
Quæ mira vidi, quæque nostris
Luminibus patuere monstra?
Vidi [recenti lætitia tumens,
Plenum recepto pectus Apolline
Latoe flavo crine pulcher
Clamat io, Pataræ Pæan]
Vidi, duobus quà sacer æthera
Parnassus altum verticibus ferit,
Pura decorum luce Phæbum,
Aonidum famulante turba,
Aureo sedentem conspicuum throno
Blandum sonantis pollice barbiti
Tractare nervos, & docentem
Carmina Pierias Sorores.
Sic ille: nobis ingenio est opus
O' Turba vestro: me duce debitos
Molitæ honores temperate
Plectra nova placitura voce.
Tu docta leges, Calliope, prior
Præscribe cantus: vos jubeo sequi,
Quos illa turgens ore magno
Inveniet modulos canendi.
Herois alti, cui peperit parem
Non alma tellus, quàque oriens fugat
Phæbus tenebras, quàque fessos
Solvit Equos subiturus undas,
Dicenda sunt præconia. Quæ seges

Im-

Immenſa laudum, quæque canentibus
Non viſa terris, mira cœlo
Materies patet, atque campus?
Quos priſca faſtis Romulidum tulit
Heroas ætas, Cæſareum decus,
Flaccos, Camillos, atque Druſos,
Magnanimoſque Duces Catones,
Eradat albo: pondus inutile
Sunt nempè nobis, vanaque nomina,
Nec digna, doctis quæ theatris
Cecropii celebrent cothurni.
Molles avenas vos quibus unicè
Inflare mos eſt, & tenui modo
Cantare vel dulces amores,
Vel calamis geminare queſtus,
Ne parva tantum barbitos atterat
Heroa verſu, texite myrtea,
Et miſta ſacra ſerta lauro:
Ferte novas capiti coronas.
Hic eſt. Volebat magnanimum Virum
Monſtrare Pæan Aonidum choro;
Sed fortè me præſente viſo
Percitus has dedit ore voces:
Quid hic? profanæ non loca pervia
Sunt Sacra turbæ: dixit, & arcuit.
Qui tantus HEROS, fama nobis,
Et celebres referent Camœnæ.

AD

AD SODALES.

EPIGRAMMA.

LAudes dicite, quotquot eſtis omnes,
Lætis carminibus boni Sodales.
Quem blandis modulis canunt viciſſim
Diſertæ Aonides, loquaxque fama,
Ille eſt, ille bonus PARENS, MAGISTER,
Et DUX, & DOMINUS, novuſque PASTOR,
Cui vos texite floridas corollas,
Molles laureolas, ſacramque myrtum,
Nec non populeam dicate frondem,
Quernamque, atque hederæ graves corymbos.
Omnes emeritus meret coronas.
Io carminibus boni Sodales
Laudes dicite, quotquot eſtis omnes.
At laudes renuens rubet modeſtus.
Tacemus meliùs boni Sodales.

CANTATA

SECONDA PARTE.

Gio. Quanti scogli, e quanti
Nel mar, che solco già trova il mio Legno!
Dis. Non dubitar: Lo 'ngegno
Dà legge all' onde, e tutto puote, e vince.
Spiega le vele a tempo:
Mira virtude qual amica Stella,
E preda non sarai della procella.

Gio. Più che la guardo,
La vaga luce
Meno riluce
Nel Ciel per me.
Al debol sguardo
Mancan le piume,
Il troppo lume
Cieco lo fe.
Più che, &c.

Dis. Or cominci a vedere.
Chi di veder men crede
La bella alma virtù, quei più la vede.
Gio. Come posso veder se cieca sono?
Dis. Sei cieca se presumi
Volar sull' alto Trono,
E dappresso inchinar la gran Reina.
Mirala altrove, e poi
Dimmi se manca luce agli occhi tuoi.

Bello

Bello è 'l Sole in mezzo al Cielo,
Nè mai l' occhio lo mirò:
Ma ben chiaro, e senza velo
Puro fonte gliel mostrò.
Bello, &c.

Gio. E qual è mai quel fonte,
Ov' io non miri tosto
Il di lei volto grazioso, e bello?
Tal brama in me s' accende,
Che la cerco nel fonte, e nel ruscello.

Dis. O in questo nò, che scorger non la puoi.
E' torbo il rivo, e della ricca imago
L' occhio non può far pago.
Per un breve momento
Mostra fugace un raggio,
Un raggio, che or lo vedi, ed ora è spento.
Rivi son cert' ingegni
Che per fiume imitar si fan torrenti,
Poi dell' usato calle
Torcono ad inondare
Con rena, e sabbia la soggetta valle.
Questi non li degnar nè pur d' un sguardo.
Non ha legge il lor moto;
E perche sregolato
O' si perdon fra via, ò portan loto.

Gio. E pure a questi rivi
Corre per ristorarsi ogni assetato.

Dis. Chi non sà bere altronde,
Benche secco, ed esangue,
O non ha gusto, ò pure infermo langue.

Egro corpo, che vien meno
Per la sete, e nel più forte
Fiero ardor non ha che ber,

 O sia

O ſia fiele, o ſia veleno
Quel che trova, bee la morte,
E ne ſente gran piacer.
Egro, &c.

Gio. Ma queſti non ha ſenno
E 'l dolce coll' amaro in un confonde.
Diſ. Tale appunto è colui, che le profonde
Ricche idee delle coſe
Va cercandole aſcoſe,
Ove non è principio, ordin, nè forma;
Lì dove i detti, i modi, e le figure
Son tutte vanitade,
Ove ben ſpeſſo accade,
Che l' occhio unito veda
Con artifizio inſano
Un piede di gigante, a un capo nano.
Gio. Queſto è 'l coſtume degli umani ingegni;
Per non parer men ſaggi
Di quei che viſſer già,
Formar de' ſuoi penſieri altri diſegni,
Amar la novità.

Quell' Imago oggi più piace,
Che la rende più vivace
Con nuov' arte il Dipintor.
Nuove fogge, e nuove mode
Son luſinga, e dolce frode.
Sono incanto agli occhi, e al cor.
Quell' Imago, &c.

Diſ. Queſto appunto è l' errore
Di quei, che vanno in traccia
Di virtude, e d' onore,
E non lo trovan mai:
Fuggir l' antica ſtrada,

Quando

Quando sol quella è buona,
E a chi per altra va, convien, che cada:
Lasciar la fida scorta
Di que' sublimi, ed immortali ingegni,
In cui soli, e non altri
V' è forza, sapienza, e v' è consiglio,
Maestade nel dire, e in un dolcezza,
Invenzione, ed arte,
Facondia senza pari,
Profondità ne' sensi, ed accortezza.
Dimmi, che v' è di buono
Nell' opre di coloro, ò pur chi sono?

Son certi augelli
Muti, e sol belli,
Perche l' indora
Vario color.
Son certi frutti
Di sugo asciutti,
Vaghi al di fuora
Senza sapor.
Son &c.

Gio. Son vinta, e al tuo consiglio
Consiglio senza pari,
O saggia Disciplina, io già m' appiglio.

A 2 Gio. Altra brama ormai s' accende
Entro il core;
Più non voglio vanità.
Dis. Se 'l tuo cuor così l' intende,
Saggia sei; virtude, e onore
Ricco premio a te sarà.

CATA-

CATALOGUS ACADEMICORUM

Quo ordine præſcripta ſinguli pronunciarunt.

Nobilis D. Alexander Bandinellus Academiæ Princeps.

Nob. D. Eques Franciſcus Picolomineus Orator.

Nob. D. Alexander Lancius.

D. Feriolus Nencius.

Nob. D. Antònius Burgheſius.

D. Auguſtinus Jannellus.

Nob. D. Hyeronimus Pannellinus.

Nob. D. Eques Nicolaus Venutus.

Nob. D. Joſeph Bizzarrinus.

Nob. D. Marcus Æmilius Mareſcottus.

Nob. D. Cajetanus Nanninus.

Nob. D. Annibal Petruccius.